



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Conversatione Apostolica - A Curatoribus Animarum piè & fructuosè instituenda ; Complectens varios & solidos modos juvandi & consolandi diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè aegras & captivas ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

§. 6. Quâ ratione æger instruendus sit, ut officio suo satisfiat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49274)

## §. VI.

Quâ ratione æger instruendus sit, ut officio suo satisficiat.

**I**Cum plerumque homines adeò in prævidendis ad casibus sint incurij, ut nihil minùs tempore sanitate cogitent, quàm quòd aliquando infirmitatem contrahant, ideo plerumque etiam ignorant, quâ ratione se tempore gerere, debitumque ex eodem fructum reportare debeant. Unde meritò ad Operarium pertinere creditur, ut ignorantiam tollere, & quò potissimum modo infirmitatem suam Christianè & fructuosè de manu Dei suscipere, & saluare debeant, eosdem edocere studeat. Consistit ergò hic in eo verè, ut quædam capita erga DEVM, Christum, Cœlites; quædam erga Medicum & Infirmarium, & eos ipsos infirmos visitant; quædam erga seipsum; & quædam denique erga Dæmonem hoc maximè tempore sævientem & insidiantem observent.

II. Et 1. quidem erga DEVM tria præcipuè capita observare deberet quilibet ægrotus, nempe 1. Ut ante omnem gratiam cum eodem redeat, & peccatorum, quibus hanc infirmitatem fortè promeruit, veniam frequenter ac deprecetur, clamando assiduè cum S. Davide Ps. 50. *Miserere DEVS, secundum magnam misericordiam tuam.* 2. Ut frequenter se resignet ad morbum hunc & alios adversos, cum magna submissione patientiæque sustinendos, ac præcipuè assiduò cum S. Job exclamet: *Sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum. Pater, fiant voluntas tua sicut in celo, ita & in terra.* 3. Ut sibi per se dissidens, totam spem suam in DEO ponat, ideoque frequenter gratiam ad morbum suum patienter sufferendum petat dicens: *Domine, auge dolores, auge patientiam. Domine, quod jubes, & jube, quod vis. Quem in finem prodentia spiria illa, quæ superiori capite circa captivos ab initio civitatis elicienda dixi, usurpare.*

III. Erga Christum itidem tria officia ab ægro sunt præstanda. 1. Ut ipsum in Magistrum patientiæ eligat, ideoque



oculos semper in ipsum tempore morbi conjiciat, clamans cum Sponsa: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum*, id est, virtutum tuarum. 2. Ut eundem etiam in Consolatorem eligat, ideoque sæpe dicat: *Non est servus major Domino suo, nec Discipulus supra Magistrum*. Et cum S. Bernardo: *Nolo, Domine, esse sine dolore & vulnere quando te video tot doloribus & vulneribus cruciatum*. 3. Ut in protectorem etiam & Adjutorem ipsum eligat, dicendo sapiùs: *Ecce, Domine, quem amas, infirmatur. Ah dic iterum: veniam, & curabo eum! Si Christus pro me, quis contra me?*

IV. Erga B. Virginem, reliquosque Cœlites pariter tria officia sunt præstanda. 1. Ut eorundem Patrocinium frequenter illis S. Job verbis imploret: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*. 2. Ut se per fiduciam in ipsorum auxilio tempore tentationis soletur, dicatque cum Elisæo: *Noli timere, plures enim pro nobis quàm contra nos*. 3. Ut se eorundem exemplo ad patientiam excitet, dicatque: *Nónne omnes Sanctos per multas tribulationes oportuit in regnum celorum intrare? cur ergo ego solus sine cruce vivere volo? Potuerunt isti, & ista centuplo graviora ferre, & tu non poteris minores longè dolores supportare?*

V. Erga Medicum & Infirmarium magnam in primis fiduciam concipiat, certòque sibi persuadeat, nihil aliud ipsos nisi salutem illius quærere, ideoque nihil neglecturos, quod ad hunc finem conducere posse videatur. Deinde beneficia illorum se grato animo agnoscere ostendat, imò interdum etiam verbis gratias agat, promittatque se DEVM pro ipsis rogaturum, ut, suo loco tanta beneficia millecuplo fœnore recompenset. Denique iisdem non aliter ac alijs Superioribus obediat, nec murmuret, si fortè quid aliter, ac ipse vellet, disponant, sed potiùs se ipsos ut instrumenta & Interpretes voluntatis divinæ agnoscere, & ex animo venerari.

VI. Erga eos, qui ipsum visitare dignabuntur, etia pariter observare debet. 1. Ut illos verbis & exemplis ædificare audeat,



studeat, ostendendo, se morbum de manu DEI velut singularem beneficium suscipere, & quamdiu ipsi visum fuerit, cum magna patientia supportare velle. 2. Ut magnam erga illos benevolentiam & reverentiam ostendat, neque ullum unquam in se iudicium adverti sinat, quod ipsorum colloquia displiceant, etiam si re ipsa non admodum grata forent. 3. Ut beneficium visitationis grato animo agnoscat, & in eorum discessu re ipsa pro illo gratias agat, idque, si occasio & vires permiserint, pro viribus se recompenfaturum promittat.

VII. Erga seipsum singulariter etiam sequentia officia præstabit. 1. Ut omnem inordinatam tristitiam; quæ morbum non modicè graviolem reddere solet, ex animo sit penitus proscribat, illudque Senis dictum applicet, quo ægratantem Discipulum sic alloquebatur; Noli mæstus esse, Filius, ob infirmitatem tuam, quin potiùs gratias DEO pro ipsa persolve; si enim ferrum es, rubiginem amittes: si aurum, probaberis. 2. Ut, ubi media, quæ habere potuit ad morbum curandum, adhibuit, omnem sollicitudinem de illorum effectu DEO committat, juxta saluberrimum D. Petri monitum. *Hamiliamini sub potenti manu DEO, omnem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* 3. Ut filii ipsi fidus sit & tam præclaram occasionem pro peccatis suis satisfaciendi, præmiùmque suum augendi, ac suum erga Deum amorem ostendendi elabi non sinat, sed potiùs ex necessitate virtutem faciens, generosa cum patientia, alacritatèque potiùs, quàm cum tristitia & indignatione dolores, reliquasque morbi molestias supportet.

VIII. Erga Dæmonem denique itidem sequentia capita sunt observanda. 1. Ut, quoniam hoc maximè tempore, quo hominem debiliorem conspicit, oppugnare solet diligentius etiam se infirmus præparet, armæque spiritualia procurare studeat. 2. Ut, ubi actu oppugnatus fuerit, non consternatus, nec cedat, sed in Christi Cruce & passione confidens audaciter dicat: Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ. 3. Ut ad hunc finem etiam orationis & rerum benedictarum, puta aquæ, cerei, & reliquiarum præsidia non negligat, sed tantò majori devotione, constantiâque usurpet, quanto magis ea Adversario exosa atque terribilia esse cognovit,